



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

P R Æ F A T I O

Ad Lectorem.



VT bonorum Ecclesiasticorum conservationi cura, & fidelitas, ita personarum incolumitati iudiciorum necessaria sanctitas est, Ac-
duum munus, nec aliis, quàm peritissimis & sapientissimis de-
mandandum.

Proprium enim verò magistratus est, se intelligere personam civitatis gerere, dignitatem, & decus sustinere, leges servare, iura describere, & ea fidei suæ commissa meminisse (Cic. l. i. de off.) Ita præstare quisquis voluerit, prudentiâ cum humanâ, tum divinâ iustitiâ, gravitate, fortitudine, & publici boni zelo instructus apprimè sit, oportet, Neque enim uno modo iudicium pervertitur. Ab amore, odio, cupiditate, & metu periculum, Contra omnia hæc audentior ibit, & ita ibit, ut in illius manu nullius auctoritate personæ inclinata turbet, aut vacillet libra iustitiæ. De Moysis spiritu accipiat, quo sui partes officii omnes adimpleat. Imperio priusquam Augustus potiretur, qui studiorum suorum fiduciam habebant, illis de jure liberum erat populo respondere, & à quibus rogarentur, iuris definitionem aut scribebant, aut dicebant. Quod maiori cum commendatione ut fieret, suam ipse auctoritatem adhibuit, & signata iudicibus responsa dari præcepit. Prudenter omninò pro illius ævi, & conditione, & populi. Nuncautem, quibus cum salvifica fide divina mysteria credita sunt, iisdem cœlesti luce, ac duce, quo dirigantur, opus est, Moysi olim Dominus, Auferam, aiebat, de spiritu tuo, tradamque aliis, ut tecum sustentent onus populi, nec tu solus graveris (Numer. 11. v. 17.) spiritus ille Propheticus fuit, Cornelio teste, qui multa complectitur, pura, prudentiam regendi, doctrinam, & consilium ad dubia iuris, caeremoniarum, & officia Religionis; præterea occultorum cognitionem ad decidendas lites, & causas occultas; denique futurum prænotionem, ad ea vel accersenda, vel præcavenda vel arcenda à populo.

Sed mittamus altiora hæc, & Prophetis seposita. Ad lites decidendas, & publici regiminis statum, discretionis virtutem, atque prudentiam Ecclesiastico iudici summopere necessariam esse contendo, & attendo; non in re ipsa, quæ per se obscura & intricata, tantùm, sed ipsis, qui ad iustitiæ cultum pregnati sunt, hominibus periculum non minimum imminente. A virtute in vitium, & a rectitudine præcipitium, & a veritate perfidiam proclivis descensus est.

Iniquus accusator, falsus testis, consiliarius infidus, corruptus assessor, reus contumax metuendi, & avertendi sunt, quod ignavus nemo faciet. Advocatos præterea, quorum moribus si par est criminantium oratio, nihil eo hominum genere
vivit

vivit sceleratius. Proprium illis, si *Blesens* credimus, jura confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, suppressere veritatem, fovere mendacia, questum sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, veritatem concinnare. Publicæ mercis nihil tam venale est, quàm advocatorum perfidia. Argus erit iudex, qui pervideat, rupes, ut sustineat: imò non sustineat, sed abstineat exerat, & profugeat.

Robur addet cæleste auxilium, confidentia, circumspectio, indagatio, eorum quæ proponuntur, accurata discussio, & æstimatio, quarum virtutum altitrix, & magistra est legum & Canonum notitia, quam in Commentario hoc pertractamus.

Agedum, hinc iudices sæculi, ait *S. Ambrosius Serm. 70. in psal. Beati immaculati*. quem in iudicando debeat tenere affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges, & jura pronunciat, statuta iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditarum domo defert, sed sicut se habet causa negotii, decernit, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causæ merita, non mutat. *6. Iudices 2. q. 7.*

Cæterum in prædicta iuris scientia video, & agnosco non eundem in quolibet gradum exigi, quamvis enim æqui bonique notitia omnibus imperetur, & lata culpa censetur ignoratio, *l. 1. §. hæc autem. si mensor. fals. mod. dixer. de jure communi* tamen accipiunt & vulgari, non verò quæstionum difficultium. *Bart. l. Quod Nerva. de Depof.* Ignorare enim quod excellentissimi sciunt, levis, vel levissimæ culpæ est.

Verùm, ut hæc ita se habeant, meminisse oportet, haud paulò diversam esse iudicis Ecclesiastici conditionem, cuius tantò nobilior officium, & strictior obligatio est, quantò animæ salutis corporis incolumitate potior. Enim verò temporalium rerum iudicium mundi est, animarum verò DEI: ac proinde omni studio, & contentione incumbet iudex Ecclesiæ futurus, ut Canonum sacrorum accurata cognitione iurisperitorum & sapientum monitis, atque præceptis animum exornet suum: proscriptis affectibus, mentis oculum perpurget, ut liquidò possit obscura discernere, prava deligere, rejicere noxia, probare salubria, quod justum est tueri; nullius potentiam metuat, amore, odio, metu, fallacia non concidat aut circumveniat. Memineat ubique se Deum habere testem, qui verbis non fallitur, donis non capitur, nulli audacitæ cedit, nulli iniustitiæ parcat.

Nos verò, si ad hanc iuris divinæ perficiendam cognitionem, studio & labore nostro aliquid contulimus, supremi Numinis largitati primò rum propitiis letor benevolentia acceptum ferre convenit. Illud docendi genus sequimur, de quo verò affirmare liceat. *Omnia nostra esse, & nihil.*